

mare vocabatur, propter ingentem aquarum vim ibi existentem. Nam situs huius urbis erat in solo plurimis secto rivis (1) prope Euphratis aquas, qui urbem interluebat, eamque undequaque circumdabat; unde non uno tantum Scripturae loco (2) Babylon mare appellatur; mare enim vocatur ab hebraeis omnis aquarum copia; prout *Cornelius a Lap.* in Isa. c. 21, v. 1 observat. Accedit, quod teste *Abydeno* pervetusto scriptore de rebus chaldaeorum, babyloniorum et assyriorum (3) locus ille, ubi Babylon aedificata fuit, antea ob ingentem aquarum vim, quibus contegebatur, mari quodammodo similis visus fuerit. *Cyrus* vero hanc aquarum vim exhauriens, ac Euphratem alio detorquens (4), ad literam has *Ieremiae* minas explevit: *Desertum faciam mare eius et siccabo venam eius.* Itaque mare Babylonis exsiccatum est, et post plura secula, Euphrates in paludes desertasque terras dilapsus exaruit ita, ut ad mare usque non perveniat (5). Denique sunt, qui citata *Ieremiae* verba in sensu allegorico interpretentur, per mare intelligentes abundantiam civium et opum, quae tanta erat, ut instar maris videretur exhauriri non posse (6). Et sane, ex quo Euphrates alio defluere coactus

et celeberrima chaldaeorum, de qua hic agimus; altera in Aegypto non procul a Nilo fluvio sita Utraque fuit devastata; prout refert lexicon lipsiense universal. tom. 3, art. *Babylon*.

(1) Vide *Herodot.* l. 1, c. 193.

(2) Isa. c. 21, v. 1. *Ierem.* c. 51, v. 36 et 42.

(3) *Eusebius* lib. 9 de Praeparat. evang. prope finem capituli 4 de *Abydeno* ait: De *Babylone* quoque *Abydenus* haec scribit: Omnia, inquit, illa loca aquis contacta fuisse dicuntur. Belus autem regionem siccasse perhibetur, et *Babyloniam* condidisse, quae moenia aquarum illuvione delata, *Nabuchodonosorus* restituit... et flu-

fuit, Babylonis negotiatio, quae florebatur ob naves in sinum persicum missas, prorsus intercidit.

104. QUÆRES XIV. An praefatio in *Threnos*, seu *Lamentationes Ieremiae canonica sit*? Antequam respondeam, recito hanc praefatiunculam in nostra vulgata his verbis extantem: « Et factum est, postquam in captivitatem redactus est *Israël*, et *Ierusalem* deserta est, sedit *Ieremias* propheta flens, et planxit lamentatione hac in *Ierusalem*, et amaro animo suspirans et eiulans dixit. » Iam de hac praefatiuncula controversia est inter ipsos doctores catholicos, ab ecclesia nondum decisa, an ea canonica sit, et divinam auctoritatem habeat, nec ne? *Greterus* (7), *Gislerius*, *Delrius*, et *Acosta* defendunt, esse canonicam; quorum sententiam *Tirinus* reputat probabilem. Sed longe communior et verisimilior est sententia s. *Bonaventurae*, *Lyrani*, *Cornelii a Lap.*, *Calmeti*, aliorumque plurium negantium, dictam praefatiunculam esse canonicam, ac asserentium, hoc esse duntaxat graecorum additamentum, neque uspiam in authographo textu fuisse. Certe haec praefatiuncula neque in hebraico textu, neque in chaldaeo, neque in syro, neque in probationibus et antiquioribus editionibus

vios Armachalem atque *Arachanum* ab *Euphrate* ortos obstruxit; paludem etiam effodit viginti passuum altitudinis, parasangarumque quadraginta, portasque in ea fecit, quas *Rivotenentes* appellabant, quibus apertis *Babyloniae* campos irrigabant... Haec ab *Abydeno* sumere placuit. Ita *Eusebius* loc. cit.

(4) Vide *Calmetum* in *Ierem.* c. 50, v. 9.

(5) *Plinius* lib. 7, c. 27. *Cellar.* Geograph. lib. 3, c. 16.

(6) *V. Menoch.* aut *Tirin.* in *Ierem.* c. 51, v. 36.

(7) Tom. 1 *Defension. Bellarmini*, lib. 1, c. 14.

CAPUT III.

De *Ezechiele*.

EZECHIEL, graece Ἐζεχίηλ, hebr. יחזקאל *Iechezkel* id est, robur, seu fortitudo Dei (7), ex nobili sacerdotum stirpe (8), a chaldaeis *Babylonem* deportatus una cum *Iechonia* (9) rege *Iuda*, prophetare coepit in *Chaldaea* anno quinto deportationis (10) eiusdem, continuavitque usque ad vigesimum septimum (11), id est per 22 annos: quorum priores undecim concurrerunt cum undecim posterioribus *Ieremiae* prophetantis in *Iudaea*. Et vero idem est utriusque prophetae argumentum. Sicut enim *Ieremias* primis 27 capitibus excidium *iudaeorum*, et captivitatem *babylonicam* praedicit; ita idem facit *Ezechiel* per prima 24 capita, causasque, scilicet peccata eorum recenset et arguit. Secundo, sicut *Ieremias* a cap. 46 ad 51 aliis gentibus, nempe *Aegypto*, *Ammon*, *Moab*, *Edom*, *philisthaeis* excidium minatur; ita facit et *Ezechiel* a cap. 25 ad 33. Denique sicut *Ieremias* a cap. 30, usque ad c. 34 et alibi sparsim, ita *Ezechiel* ultimis capitibus praedicit reditum et liberationem *iudaeorum* e captivitate, *Messiae* regnum, vocationem gentium, etc. Deus ergo, qui omni tempore ecclesiae et fidelibus providet doctores et praecones, tunc temporis *iudaeis* in *Babylone* dedit

versionis s. *Hieronymi* invenitur (1).

NEQUE OBSTAT, quod dicta praefatiuncula extet in nostra vulgata, quae cum omnibus suis partibus a Tridentino declarata est canonica. Nam R. et dico, praefatiunculam hanc censendam esse veluti titulum vel argumentum *Threnorum*, non partem eorundem: quod ita verum est, ut hic titulus seu hoc proemium in nonnullis Bibliorum editionibus omnino non inveniatur, neque obfuerit, quominus complures tum ex veteribus, tum ex recentioribus interpretibus (2) crediderint, lamentationes has in obitum *Iosiae* fuisse conscriptas; quod tamen aperte contrarium est huic praefatiunculae. Plura de praesenti quaestione, seu de memoratae praefatiunculae auctoritate apud *Hermannum Goldhagen* (3) invenies.

105. QUÆRES XV. An liber *BARUCH* merito libris canonicis s. *Scripturae accenseatur*? R. Affirmative contra *Grotium*, aliosque protestantes. Hanc assertionem nostram iam alibi (4) probavimus, ubi etiam ad obiectiones contra canonicam huius libri auctoritatem respondimus (5). Qui plura de hac quaestione polemico-critica scire cupit, eam solide discussam reperiet apud laudatum *Hermannum Goldhagen* (6), aut apud alios scripturistas, vel polemicos.

(1) Vide Not. in *Threnos* nov. edit. s. *Hieronymi*.

(2) Vide *Calmeti* praefationem in *Threnos* *Ierem.*

(3) Part. 2 *Introd.* in s. *Scriptur.* n. 226 et seq.

(4) *Scripturae* sacrae contra incredulos propugn., V. T., part. 4, sect. 1, q. 1, n. 1 et seqq.

(5) *Ibidem* n. 2, *Dices* II, pag. 8; item p. 12, n. 3, et seq.

(6) *Loc. cit.* n. 230 et seq.

(7) Vide *Ezech.* c. 5, v. 8. Aut versionem literalem nominum hebraeorum in s. *Scriptura* occurrentium, quam in tom. 2 *dictionarii* bibl. *Calmeti* ad finem positam invenies.

(8) *Ezech.* c. 1, v. 3.

(9) V. praefat. s. *Hieronymi* in *Ezechielem*.

(10) *Ezech.* c. 1, v. 2.

(11) *Ezech.* c. 29, v. 17. Vide *Tirinum* in hunc locum *Ezechielis*.

Ezechielem, iudaeis vero in Ierusalem dedit *Ieremiam*. Illud tamen discriminis est inter utrumque hunc prophetam, quod quae *Ieremias* clare et aperte iudaeis Ierosolymae, eadem iudaeis in Babylonia *Ezechiel* tecte per figuras et aenigmata proponat, quod ideo fecisse videtur, quia nolebat sua innotescere babyloniiis (ne ansam inde sumerent irridendi et vexandi iudaeos), sed solis popularibus suis, quibus ipsemet omnia explicabat. De ipso autem dicendi genere, quo *Ezechiel* utitur, s. *Hieronymus* (1) ita iudicat: *Sermo eius nec satis disertus, nec admodum rusticus est, sed ex utroque medie temperatus. Ceterum Grotius* (2) hoc de illo encomium pronuntiat: *Valuit eruditione et ingenio, ita ut (seposito prophetiae dono, quod incomparabile est) non immerito Homero eum compares ob pulcras evolas comparationes illustres, magnam rerum multarum, praesertim architecturae, cognitionem.*

Praeterea martyrem fuisse prophetam *Ezechielem*, a duce populi iudaici occisum, quod eum idololatriae argueret, docet martyrologium romanum die 10 aprilis, item *Dorotheus* (3), *Isidorus* (4) et *Epiaphanius* (5), qui et varia eiusdem miracula enarrant. Circa genus martyrii, quod subiit, discrepant auctores, *Adrichomius* (6) vult eum equis distractum fuisse: auctor vero Operis imperfecti (7) per saxa raptatum et excerebratum.

Ex dictis constat, falsum esse, quod quidam veterum apud Cle-

(1) Praefat. in vers. *Ezech.*

(2) Praefat. comment. in *Ezech.*

(3) In Synopsi c. 16.

(4) De vita et obitu Ss. c. 59.

(5) De Prophetarum vita, c. 49.

(6) In Terra sancta, pag. 246.

(7) In Matth. homil. 46.

mentem *Alexandr.* (8) opinati sunt, *Ezechielem* esse ipsum *Pythagoram*. Primo, quia *Ezechiel* floruit regnante apud chaldaeos *Nabuchodonosore: Pythagoras* vero regnante *Cambyse* filio *Cyri*, qui chaldaeorum monarchiam evertit. Secundo, *Pythagoras* graecus fuit, ex Samo insula oriundus, ut veteres passim docent: *Ezechiel* vero iudaeus. Tertio, *Pythagoras*, etsi forte ab *Ezechiele* aliisque prophetis aliqua mutuatus sit; in multis tamen ac praecipuis dogmatibus ab illo dissidet, ut ex ridicula *μπεμφυκώσει*, seu animarum ex uno corpore in aliud transmigracione, et aliis fabellis ipsius apud *Tertullianum* (9), et *Hermiam* (10), quibus facile colligere potest. Vide hac de re praeter alios *Calmetum* (11).

106. QUÆRES I. *Quomodo illud* (*Ezech. 1, v. 14*): ANIMALIA IBANT ET REVERTEBANTUR, IN SIMILITUDINEM FULGURIS CORUSCANTIS, cum illo (*Ezech. 1, v. 9 et 17*): NON REVERTEBANTUR, CUM INCEDERENT, *concordet? An non novum dictu, ac paradoxum, REVERTI, et tamen NON REVERTI? Non est hic realis, sed duntaxat apparens contradictio, quam Cornelius a Lap. ita solvit et explicat: ibant animalia seu cherubini, id est, recta ad locum, ad quem impetu spiritus Dei agebantur, tendebant, et non revertebantur, cum incederent, hoc est, non regrediebantur, sed recta antrorsum semper pergebant una cum curru communi motu: quo modo loquendi significatur, angelos recta properare eo, quo mittuntur, nec desistere, sed*

(8) Lib. 1 Strom.

(9) L. de anima, c. 28.

(10) In tractatu de gentilibus philosophorum irrisione. Extat tom. 4, biblioth. ss. patrum.

(11) Praefat. in *Ezechielem*.

perseverare, donec iussum Dei perficerent, idque citissime. Cum autem venissent ad locum, quo mittebantur, *revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis*, id est, convertebant se, et ibant, quocumque Deus iubebat; aut revertebantur, ut rursus se sisterent Deo, quasi prompti ad alia eius iussa excipienda, et pari rectitudine ac fortitudine exequendo. Deo enim iubente evolabant et revolabant celerrime instar fulguris.

107. QUÆRES II. *An ex illo loco* (*Ezech. 3, v. 1-4*): « Et dixit ad me (Dominus Deus): Fili hominis — comede volumen istud — et aperui os meum, et cibavit me volumine illo. Et dixit ad me: Fili hominis! venter tuus comedet, et viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. Et comedi illud, et factum est in ore meo sicut mel dulce; » *D. de Voltaire* (1) *merito caplet occasionem prophetas tanquam amentes traducendi?* R. Negative. Imo potius hic rursus sive inscitiam, sive impudentiam suam prodit *Voltaireius*. Aliud enim est narrare factum tanquam re ipsa factum, aliud illud tanquam *visum referre. Ezechiel* non est a Deo re ipsa porrecta pergama, charta, aut volumen aliquod, sed neque ab hoc propheta comestum ore corporali, sed per visionem imaginariam, qua haec omnia ei repraesentabantur. Docet hoc ipsum initium *secundi capituli* prophetiae *Ezechielis*, quod ita incipit: *Haec visio similitudinis gloriae Domini. Et vidi, et cecidi in faciem meam etc.*

Sic etiam apud s. *Ioannem* in libro Apocalypseos (2) legimus: « Et

(1) Ita de *Voltaire* refert cl. *Weissenbach* in Nova forma theologiae bibl. tom. 2, lib. 4, q. 56, pag. 240.

(2) Cap. 10, v. 8, 9 et 10.

(3) Sicut doctores creantur, tradendo

audiivi vocem de coelo iterum loquentem mecum et dicentem: *Vade et accipe librum apertum de manu angeli stantis super mare et super terram. Et abii ad angelum, dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe librum, et devoravi illum: et faciet amaricari ventrem tuum; sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Et accepi librum de manu angeli, et devoravi illum: et erat in ore meo tanquam mel dulce: et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus. » Haec cum narrentur in libro visionibus sacris repleto, nemo sanus reipsa dicit contigisse, sed s. *Ioanni* per visionem imaginariam fuisse repraesentata. Idem ergo etiam de libro, quem *Ezechiel* comedit, dicendum est. Quodsi autem haec non reipsa contigerunt, quid tanquam emotae mentis deliria a *Voltaire* exploduntur, et in invidiam vocantur? Aut nunquid res etiam valde paradoxae, etiamsi spectato consueto ordine et legibus naturae fieri non possint, exhiberi tamen per visionem imaginariam non possunt?*

Porro, quod visio illa *Ezechielis* (idem est de memorata visione s. *Ioannis* in Apocalypsi nihil absurdi aut implicatorii contineat, patet eandem rite intelligenti et exponenti. Sensus nimirum illius visionis *Ezech.* loc. cit. est iste: *COMEDE VOLUMEN ISTUD, scilicet per visionem, ut dixi, quae significat id, quod explicat Deus v. 10 dicens: Omnes sermones meos, quos loquor ad te, assume in corde tuo; q. d.: Haec traditio voluminis symbolum est legationis tuae* (3), et indicat, tibi infundi spiritum propheticum: come-

ipsis librum (inquit *Cornel. a Lap.* in hunc locum): sic in hac visione *Ezechiel* creatur propheta, accipiendo volumen prophetiarum a Deo.

stio vero significat ea, quae in hac legatione a Deo audis et vides, in intima animae tuae ruminando et meditando transmitti; ut cum affectu, ac toto animo et spiritu, ea populo proloquaris: sicut cibus et vinum, sanguinem et spiritus excitant, ac novos suggerunt, qui linguam faciunt disertam. ET APERUI OS MEUM, ET CIBAVI ME VOLUMINE ILLO, h. e. visus sum mihi volumen hoc comedere: videbatur enim mihi, quod Deus volumen illud in os meum ingerat faciatque ut illud devorarem; hoc est, docuit me cuncta, quae in illo erant scripta, scilicet minas et excidia iudaeorum, aliarumque gentium eis a Deo decreta. Unde textus chaldaeus hunc versum 2, cap. 3 ita exprimit: *Et inclinavi animam meam, et docuit me quod scriptum erat in volumine isto.* Sed pergamus: VENTER TUUS COMEDET ET VISCERA TUA COMPLEBUNTUR VOLUMINE ISTO QUOD EGO DO TIBI, id est, ut chaldaeus habet, *animam tuam satiabis.... si susceperis quod scriptum est in volumine isto etc.*; vel, ut *Menochius* exponit, si venter tuus comederit (puta prophetias corde excipiendo, eas sedulo meditando, et velut ruminando et concoquendo, anima tua saturabitur, et ita complebitur, ut satis materiae ad prophetandum habiturus sis; nihil erit quod amplius desideres. ET COMEDI ILLUD, ET FACTUM EST IN ORE MEO SICUT MEL DULCE. Nimirum, valde suave est nosse divina et arcana Dei consilia ac iudicia, inquit s. *Hieronymus* et *Theodoretus*. Dulce item est zelare Dei iustitiam, praedicere et minari, quin et videre peccatorum punitionem, qua vindicetur Dei honos. *Amaricatus* est tamen postea venter, ut s. *Ioannes* in Apocalypsi loc. cit. ait, videlicet

(1) I. Cor. c. 2, v. 14.

ex condolentia et compassione, cum postea cogitavit iram Dei, et supplicia maxima, et tot hominum damnationem. Sic etiam *Ezechiel* cit. cap. 3, v. 14 inquit: *Abii amarus in indignatione spiritus mei*, hoc est, ut *Cornelius a Lap.* exponit, « abii meditabundus et tristis, ac cum indignatione, qua indignabar sceleribus populi mei, propter quae Deus urbem et templum volebat evertere; simul anxius quid facerem. Dicebam enim intra me: Si haec, quae Deus iubet, praedicem populo, eum contra me concitabo; si non, Dei maiestatem offendam. Hic ecce pilula voluminis in ore dulcis, — in ventre dissoluta operatur et ventrem torquet et lancinat. » Ridebunt fortassis ad hanc et similes orthodoxorum interpretum expositiones increduli, easque per sibilos et convicia explodent; neque id mirum: *animalis enim homo non percipit ea quae sunt spiritus* (1).

108. QUARES III. *Quid sentendum de VOLTAIRIO, qui in tractatu de Tolerantia* (2) narrationem (*Ezech. 4, v. 4-9 de situ recubantis Ezechielis prophetae deridiculo habet?* R). Censendus est, id more suo fecisse ex irreligiositate et impia audacia irridendi sacras literas. Si autem increduli replicent et petant, an non revera ridiculum, imo impossibile sit, *Ieremiam* dormivisse super latus suum sinistrum 390 diebus continuis pro totidem annis iniquitatis *Israël*, et postea aliis 40 diebus super latus suum dexterum pro totidem annis iniquitatis *Juda*; quemadmodum Deus huic prophetae mandasse loc. cit. dicitur? R). Neque ridiculum neque impossibile hoc fuit. NON RIDICULUM, quia molesto hoc situ prophetae, Deus indicavit poenam iniquitatis *israë-*

(2) Ita denuo de *Voltaire* refert cl. *Weissenbach* loc. cit. q. 37, p. 242.

litarum et iudaeorum debitam (1). Quis autem neget, Deum per servos suos prophetas posse prophettare, sive verbis, sive factis, ex. g. certo gestu aut situ corporis? Et revera non raro prophetae etiam factis ipsis prophetarunt (idque sine deridiculo). Sed NEQUE IMPOSSIBILE fuit, *Ieremiam* tot diebus in memorato situ corporis dormire. Nam vel hoc reapse non contigit, sed tantum per visionem profeticam *Ieremias* sibi visus est tot diebus in situ corporis supra dicto dormire; uti quidam, inter quos etiam *Hector Pintus* (3), et quorum opinioni ipse s. *Hieronymus* (4) praelusit, contendunt? Et tunc per se patet, eiusmodi visionem non fuisse impossibilem quemadmodum in praecedente quaestione 2, de alia quadam visione prophetica *Ezechielis* iam diximus. Vel in illo situ corporis propheta revera tot diebus dormivisse asseritur; ut communior patrum (5), et interpretum (6) tenet? Sed neque tunc aliquid dicitur, quod fieri non potuerit. Quamvis enim durum sit, in eodem semper aut longiori tempore latere cubare, interdum tamen haec homines ex virtute patientiae, aut necessitate tolerant, ut in aegrotis videmus, qui longo tempore ita incumbunt in latus, aut supini iacent, ut lapides putes, aut truncos insensibiles. Ceterum cum *Sanctio* facile concessero, in diuturno illo *Ezechielis* cubitu su-

(1) Vide *Corn. a Lap.* aut *Menochium*, comment. in *Ezech. c. 4, v. 4 et 5.*

(2) Vide supra sect. 1, n. 1.

(3) Comment. in *Ezech. c. 4, v. 4*, ubi ita ait: « Hic autem somnus non fuit realis per tot integros dies: qui enim fieri poterat, ut *Ezechiel* super unum latus trecentos et nonaginta dies continuo dormiret? et somno solutus super aliud latus quadraginta. Sed fuit hoc factum in visione quadam intellectuali et prophetica: videbatur enim illi, se tot dies dormire. »

(4) Comment. in *Osee, c. 1, v. 8*, ubi hic s. Pater pariter negat, *Ezechielem* re-

per latus sinistrum, et postea super latus dextrum aliquid supra humanum intervenisse: nam qui eo modo iacere iussit, ille vires addidit et constantiam, ut cum minori fastidio fieret, quam experiuntur illi, quos aut voluntas propria, aut valetudinis necessitas addicit, vel alligat lecto. Vide etiam *Cornelium a Lap.* comment. in *Ezech. 4, v. 17. Quaeritur secundo.*

Denique illud quoque notandum, quod ille *Ezechielis* per 390 dies cubitus super latus sinistrum, et dein per 40 dies super latus dexterum non fuerit coniunctus cum somno continuo. Nam ubi vulgata nostra habet (7): *E tu dormies super latus tuum sinistrum etc.* in hebraeo est ככב *scekab*, id est, *iace, decumbe.* Non ergo dormivit propheta 390 dies; sed vigil decubuit, quasi obsidens, aut potius spectans obsidionem urbis Ierusalem. Sic vulgo dicimur tota nocte dormire, id est, decumbere in lecto, etiamsi multi multas horas proprie non dormiant, sed vigilant, vel morbi, vel curarum, vel curationis causa. Praeterea ex eo etiam patet, Deum prophetae loc. cit. non praecepisse continuum per tot dies somnum; quia eodem cap. 4, v. 9-13 ac dein v. 15, Deus *Ezechielem* iussit, ut cibo et potu valde vili et modico illis diebus utatur. Vide *Cornelium a Lap.* (8).

vera dormivisset tot dies super unum latus, addens hanc rationem: *Hoc enim rerum natura non patitur*, ut quisquam hominum per 390 dies in uno semper latere dormiat.

(5) S. *Chrysostomus* l. 5 de Dei providentia s. *Basilii* in illud *Isai. c. 8: Sume tibi librum grandem.* Item *Theodoretus* in cap. 1. *Osee.*

(6) *Cornel. a Lap., Tirinus, Sanctius, Calmet, etc.*

(7) *Ezech. c. 4, v. 4.*

(8) Commentar. in *Ezech. c. 4, v. 4*, usque ad finem huius capituli.

109. QUÆRES IV. Num credibile sit, quod Deus (Ezech. 4, v. 12 et 15) Ezechieli prophetae praeceperit, ut ex stercore humano aut bovino panem conficiat, et comedat? Antequam respondeam, observo, quod Voltairius, qui toties s. Scripturam impudentissime risui et contemptui exponit, etiam hoc loco rotunde asserat, Ezechielem prophetam panem suum linivisse stercore humano: quod tamen falsum. Inde iusto Dei iudicio factum, ut infelix hic auctor brevi ante obitum suum inter terribiles agitationes corporis, et rabidos eiulatus propria sua stercore voraverit (1).

Hoc ad terrorem impiorum commemorato, respondeo et dico, assertionem Voltairii de citato praecepto divino esse apertam falsitatem, eamque duplicem. PRIMO enim Scriptura dicit, eius rei indulgentiam Ezechieli a Deo factam, et stercore humanum cum stercore bovino commutatum esse. Quamvis enim Deus (loc. cit. v. 9 et 12) ab initio iusserit: *Sume tibi frumentum et hordeum etc., et quasi subcinericium comedes illud, et stercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum*: tamen, cum Ezechiel v. 14 horrorem suum in sumendo eiusmodi sordido cibo reponeret, Deus eius petitioni cessit, ad eum v. 15 dicens: *Ecce dedi fimum bouum pro stercore humanis, et facies panem tuum in eo*. SECUNDO Scriptura neque his, neque prius citatis verbis dicit, prophetam iussum comedere stercore humanum, aut bovinum, sed duntaxat coquere panem sub cinere, ex

(1) Res haec in diario, cui titulus: *Diarium pro amicis religionis et rei literariae*. Edit. August. in taberna libraria Bartliana, part. 4, ad an. 1780, pag. 361 in nota (1) eum omnibus circumstantiis suis distincte narratur.

eiusmodi excrementis composito atque succenso: quae duo longe diversa sunt. Imo v. 9, 12 et 15 Deus prophetae expresse mandat, ut panem suum ex frumento et hordeo etc. (non ait ex stercore) conficiat, et quasi subcinericium i. e. sub cinere ex dictis excrementis composito, coquat: *Sume tibi frumentum et hordeum et fabam et lentem et millium et viciam, et mitte ea in vas unum, et facies tibi panes.... et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud: et stercore, quod egreditur de homine, operies illud.... Et dixit ad me: Ecce dedi fimum bouum pro stercore humanis, et facies panem tuum in eo*. Voluit nimirum Deus hisce omnibus portendere famem, sordes et angustias, summamque rerum penuriam, quam passuri essent postea iudaei sub rege Sedecia, obsessi a chaldaeis in Ierusalem. Solent enim qui obsidentur, aut pauperes admodum sunt, subcinericio pane uti, coctoque non sub prunis lignorum, sed sub stercore bouum, aliorumque animalium, quod hodieque in nonnullis locis ex lignorum penuria fieri consuevit.

Certe in regionibus Orientis, ubi rara sunt ligna, quemadmodum in Arabia petrosa, in Mesopotamia etc., erat hoc maxime usitatum, sub eiusmodi cinere, ex stercore bouum, camelorum, aliorumque pecorum coquere panes, ac maxime hordeaceos. Imo cl. Bullet (2) ex variis itinerariis, vel aliis relationibus d. D'Arvieux, d. De Tournefort, Villalpandi etc., perhibet, hunc morem utendi stercore bovino combusto loco prunarum ligni durare hodieque apud varias nationes. Similiter Scheuchzerus (3) hac de re ita lo-

(2) Réponses critiques, tom. 1, n. 40, De praecepto Domini ad Ezechielem.

(3) Physicae sacr. tom. 4, pag. 1192, et 1193.

quitur: « Gentes offendimus, quae ex defectu ligni vel cespitum bituminosorum utuntur fimo vaccino... Et quo, quae, redigerentur belgae, si turfa deficeret? miseriorem hi traherent vitam prae aegyptiis, qui in ipsa metropoli Cairo cespitibus ex fimo equino et asinino uti tenentur; prae melitensibus, qui cardui speciem in minutias concissam cum stercore vaccino commistam in cespites redigunt.... hodie dum arabes placentas coquunt igne fimi vaccini. » Ita Scheuchzerus. Igitur illa Scripturae verba Ezechiel. 4, v. 12: *Et quasi subcinericium hordeaceum panem comedes, — et stercore, quod egreditur de homine, operies illud*, habent hunc sensum: « sub cinere stercoreis humani coques illum » prout Menochius, aliique interpretes passim exponunt. Atque eundem sensum distinctius innuit versio graeca LXX interpretum, quae loco vocis operies ponit vocem ἐκκρύπτεις id est, abscondes illum, nempe sub dicto cinere ita ut eundem non sub prunis lignorum in clibano, sed sub cinere stercoreis humani torreas; quamvis, ut supra ostensum est, Deus postea permiserit ut propheta in torrendis panibus stercore bovino loco stercoreis humani uteretur.

Vide de hac biblica quaestione interpretes Ezechielis, vel etiam cl. Bullet (1) et Nonnotte (2).

110. QUÆRES V. Quomodo Scriptura (Ezech. 18, v. 20) dicens: FILIUS NON PORTABIT INIQUITATEM PATRIS, ET PATER NON PORTABIT INIQUITATEM FILII, conciliari possit cum illo loco Scripturae (Deut. 5, v. 9), ubi DEUS AEMULATOR, REDDENS INIQUITATEM PATRUM SUPER FILIOS IN TERTIAM ET QUARTAM GENERATIONEM dicitur? Etiam istam apparentem

contradictionem, toties apud interpretes ventilatam et solutam ad illudendum recoxit Voltairius, qui impie docet, citatum locum Scripturae apud Ezechielem recta opponi illis, quae leguntur Deut. 5, v. 9; ubi expresse dicitur, Deum iniquitatem parentum vindicare etiam in liberis usque ad tertiam quartamque generationem.

Verum duplex potissimum potest dari responsio, quarum quaelibet apparentem hanc contradictionem displodit, et ostendit, nullam hic esse veram et realem antilogiam. Nam I. cum Cornelio a Lap. (3), et aliis merito dicitur, apud Ezechielem loc. cit. sermonem esse de filiis piis, qui impiorum parentum peccata detestantur: in Deuteronomio vero loc. cit. Scripturam loqui de impiorum patrum impiis filiis, qui peccata parentum imitantur: in his enim peccata parentum punit Deus: quia filius punitur ob peccatum patris; non quatenus est peccatum patris, sed quatenus illud imitatus est, et sibi proprium effecit. II. Responsio est cl. Nonnotte et aliorum dicentium, cit. verba Deuteronomii esse intelligenda de delictis universalibus totius populi, e. gr. si totus populus in idololatriam labitur. Tunc enim universalis poena saltem in temporalibus transit etiam in filios, prout iudaei saepius experti sunt, dum ob scelus progenitorum suorum etiam innocentes, ut Tobias, Daniel, Baruch etc., in captivitatem abducti fuerunt. Verba autem Ezech. 18, v. 20 esse directa ad quamlibet personam privatam, et intelligenda de delictis cuiusque singularibus, ita ut sensus sit: « Patris crimen non luet filius, nec filii crimen pater. » Elucescit

(2) In Diction. philosoph. tom. 1, art. Ezechiel. pag. 475.

(3) Comment. in Ezech. c. 18, v. 20.

(1) Loc. cit.

hic sensus ex toto contextu loco citato, qui ita sonat: « Anima, quae peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii; iustitia iusti super eum erit, et impietas impii erit super eum. Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis..... vita vivet et non morietur. » Vide *Calmetum* aut alios interpretes in hunc locum.

111. QUÆRES VI. *An his verbis (Ezech. 20, v. 25): ERGO ET EGO DEDI EIS PRAECEPTA NON BONA etc., sanctitas legis mosaicae in dubium vocetur; prout TINDALLIUS, et qui ista in re hunc exerpit, VOLTAIRIUS ad hunc locum animadvertunt? R.* *Tindallius et Voltairius*, sicut increduli solent, vel nodum quaerunt in scirpo, vel crassam suam in studio scripturistico ignorantiam produnt. Solidam enim huius dubii solutionem reperire est apud obvios interpretes. Dicimus itaque cum *s. Hieronymo* (1), *Paraphrasi chald.* (2), *Malonato*, et aliis hoc loco verbum *dedi*, idem esse atque *permisi*, ita ut sensus sit: *Permisi eis dari seu imponi praecepta gentilium non bona de ritu et caeremoniis colendi idola, quale praeceptum erat illud, de quo statim versu sequenti* (3) *sermo fit, nempe de primogenitis idolo Moloch immolatis: item dedi, id est, permisi eos facere quicquid vellent: noluerant obtemperare praeceptis meis, quae il-*

(1) Verba huius s. Patris comment. in hunc locum sunt: « Dedit eis (iudaeis) dispersis in gentibus praecepta non bona: hoc est, dimisit eos cogitationibus, et desideris suis, ut facerent quae non conveniunt. »

(2) Paraphrasis chaldaica citatum versum 25, cap. 20 Ezech. his verbis exponit: « Ego quoque, quia praevericati sunt in verbum meum... proieci eos, et tradidi eos in manum concupiscentiae eorum insipientis, etc. »

lis vitam conferre potuissent, ego vero in eorum infidelitatis poenam eos suis erroribus et perniciosis cupiditatibus relinquo: mancipent sese illi quam elegerunt, religioni; et fructus suorum flagitiorum percipiant. Porro hunc sensum, non solum versus immediate sequens, ut iam observavi, indicat, sed etiam immediate praecedens. Postquam enim Dominus v. 24 praecedente iudaeis scelus idololatriae exprobrasset, infert v. 25 verba illa: *ergo et ego dedi eis praecepta non bona* ferme sicut alibi (4) dicitur: *propter quod tradidit illos (ethnicos) Deus in desideria eorum, in immunditiam etc.*, id est: permisit eos ambulare secundum viam cupiditatum suarum.

Negatur itaque suppositum, quod Ezech. 20, v. 25, per *praecepta non bona* intelligantur praecepta divina legis mosaicae, sed intelliguntur leges, ritus et caeremoniae servandae in cultu idolorum, a gentibus excogitatae, quas Deus dicitur hebraeis *dedisse*, quia permisit eos in idololatriam labi, et se illarum observationi subiicere.

112. QUÆRES VII. *Quomodo propheta EZECHIEL (c. 33) sub parabola duarum meretricum describens fornicationem, id est, idololatriam tam Samariae quam Ierusalem a criminatione VOLTAIRII vindicandus sit? R.* Inique impudens et incredulus hic scriptor *Ezechieli* obiicit obscena dicta et imagines lubricas de gemina illa meretrice cit. loc. ex-

(5) Post illa verba Ezech. c. 20, v. 25: « Et ego eis dedi praecepta non bona et iudicia in quibus non vivent. » Deus, v. 26, statim addit: « Et pollui eos in muneribus suis, cum efferrent omne, quod aperit vulvam, etc. » hoc est, pollui eos permisi sacrificiis suis superstitiosis et sceleratis, cum idolo *Moloch* cremarent primogenita sua. Vide *Tirinum*, aliosve probatos interpretes comment. in hunc versum.

(4) Ad Rom. c. 1, v. 24.

pressas: imo (ut cl. viri, *Nonnotte* (1), et *Weissembach* (2) observant) potius ipse *Voltairius* criminis, quod prophetae obiicit, se reum fecit, dum memoratum locum *Ezechielis* exaggerando; addendo, demendo, studiose videtur lectorum animos nimis vivacibus et periculosis imaginibus ad libidinem provocare. E contrario *Ezechiel* ex fine bono, et gravibus iustisque de causis parabola et imaginibus, ob quas a *Voltairio* acerbe carpitur, usus est.

Nam notandum I. Quod peccata libidinis gravissima habebantur apud hebraeos; cum lex mosaica in omnia fere eius genera capitali supplicio animadverteret. II. Quod cultus idolorum fuerit semper cum libidine et scortationibus publicis coniunctus; vel rectius loquendo, erat pars rituum et caeremoniarum ethnicae superstitionis seu cultus falsorum deorum; quemadmodum *Lucianus*, *Strabo*, multique alii ethnici scriptores teste cl. *Nonnotte* (3) referunt. Unde propheta *Ezechiel* ad demonstrandam abominationem idololatriae et coniunctorum sceclerum, quibus Samaria et Ierusalem pollutae sunt, simulque gravitatem promeritae poenae indicandam et horrorem horum sceclerum excitandum usus est parabola duarum meretricum in abyssum luxuriae miserime prolapsarum. III. Sed neque perfidia populi iudaici, quem Deus singulari foedere quasi desponderat sibi, poterat aptius ob oculos poni, quam moribus adulterae omnibus sese prostituentis. IV. Accedit, quod antiquis illis *Ezechielis* et aliorum veterum prophetarum temporibus multa dicta et imagines, quas hodie castae aures horrent, nequaquam adeo inhonestae et pe-

(1) Loc. cit. pag. 469.

(2) Nova forma theol. bibl. tom. 2, lib. 4, q. 41, pag. 249 et 250.

riculosae visae fuerint, prout nunc sunt; uti mox pluribus declarabo.

Ceterum in praxi circa lectionem memorati cap. 23 *Ezech.* abstinendum a temeraria curiositate, et observandum id quod iam alibi (4) de lectione cantici canticorum monuimus.

113. SCHOLION: Quae hic diximus de cit. c. *Ezechielis*, serviunt et aliis Scripturae locis defendendis. Nam non raro in s. Scriptura modi loquendi aut res gestas describendi occurrunt, qui hodie minus pudici aut inhonesti videntur. Hostes autem religionis simulant, se offendi eiusmodi loquendi libertate, qua sacri scriptores res exprimunt, quas nos hodie non nisi sub velamine honestissimorum verborum proponere audeamus. An, inquiunt, Deus qui etiam solas cogitationes inhonestas prohibet, scriptoribus hagiographis verba aut res scribendas tam aptas ad excitanda impudica phantasmata inspirare potuit? Ut hunc scrupulum impiis hypocritis eximamus, dicimus cum cl. *Bullet*, verba illa et locutiones in s. Scriptura occurrentes, quae hominibus nostrorum temporum ab honestate alienae apparent, tales non erant eo tempore, quo a prophetis ad iudaeos prolatae sunt: id quod sequenti argumento ostendo.

Viri, qui haec dicta proferebant, asseverabant, se loqui ex inspiratione divina, et iudaei, ad quos oracula sua dirigebant, credebant, illos revera divinitus esse inspiratos. Iam vero, si verba protulissent, quae audientibus merito fuissent scandalo, a suis auditoribus nequaquam in numero hominum a Deo missorum et ex divina inspiratione loquentium fuissent habiti. Itaque

(5) Loc. cit. pag. 468.

(4) Scriptura Sacra, etc., V. T., part. 5, sect. 4, q. 5, n. 55.

concludendum, quod scriptores sacri, dum eiusmodi verbis et locutionibus usi sunt, nil dixerint aut scripserint, quod sine scandalo dici, scribere non potuerit. Ceterum cl. *Bullet* loc. cit. recte observat, quod etiam in nostris linguis saepe vocabula aut modos loquendi habeamus, quae non semper et ubique, aut in omnium personarum ore honesta sunt, vel vicissim inhonesta; sed quod honestas aut inhonestas verborum et locutionum pro varietate temporum, locorum, et personarum variet; ferme sicut voces quantumvis lubricae et respectu aliorum periculosae, in ore tamen medici castae sunt, quia eius cor non afficiunt.

CAPUT IV.

De Daniele.

DANIEL (דניאל), idest iudicium Dei, vel Deus iudex meus, ex דן *Dan*, iudex, et אל *El*, Deus ex semine regum Iuda (1) natus, adhuc adolescens 20 annorum captivus a *Nabuchodonosore* ductus est Babylonem una cum rege et cognato suo *Ioakim*, anno tertio regni eiusdem: ubi quarto post anno *Susannam* a morte liberavit, et prophetam agere coepit. Is fuit et sanctis-

(1) Dan. c. 4, v. 5, et Isai. c. 59, v. 7.

(2) Syriace, id est, chaldaice, quae ipsorum materna lingua erat, quaeque olim dicta est syriaca, ad distinctionem linguae hebraeae. Erat tamen haec lingua diversa ab ea, quam nunc syriacam dicimus, non tam verbis et vocibus, quam dialecto, ut graeca attica differt a dorica. Dicit autem *Daniel*, eos locutos syriace, ne quis miraretur, si eorum verba recitaret syriace, ut ab eis prolata sunt, quod facit, ut dixi, ab hoc versu, et deinceps usque ad initium capitis octavi.

(3) Equidem etiam haec duo ultima capita, haud dubie olim lingua hebraea vel chaldaica exarata legebantur, quia *Theo-*

simus (ut colligitur ex *Ezech.* 14, v. 14) simul et sapientissimus, ut ex *Ezech.* 28, v. 3 infertur, ubi regi Tyrio, qui se sapientissimum, reputabat, per sarcasum obiicitur, *Ecce sapientior es tu Daniele*. Porro scopus *Danielis* in prophetia sua est, regnum Christi describere, quod incipit facere c. 7 et prosequitur c. 9, 10, 12. Nam historiae regum Babylonis, medorum et persarum, quae primis sex capitibus praeposuntur, et reliqua, quae cap. 7, 8 et 11 de quatuor monarchiarum vicissitudinibus narrantur, eo pertinent, ut intelligamus, omnia alia regna et imperia aliquando peritura, solum Christi regnum aeternum futurum.

Scriptus est hic liber ab ipsomet *Daniele*, et quidem hebraice ab initio usque ad cap. 2 vers. 4: in medio autem huius versus, nimirum post illa verba: *Responderuntque chaldaei regi Syriae* (2), incipit *Daniel* chaldaice, et hac lingua pergit usque ad finem capitis septimi. Reliqua quinque capita sunt hebraice scripta: atque hucusque textum hebraicum libri *Danielis* habemus. Cetera, quae sequuntur usque ad finem libri, id est, ultima duo capita de *Theodotionis* graeca editione translata sunt (3). Porro, si de versione graeca horum ultimorum duo-

dotion ea ex his linguis in graecum idioma transtulit, et quia antiquissimi ecclesiae Patres historiam *Susannae*, item *Belis* et *Draconis* (quae in illis 2 ultimis capitibus recensentur) citant: verum incuria iudaeorum, aut iniuria temporum, vel perfidia alicuius impostoris factum est, ut hodie textum hebraeum aut chaldaicum dictorum 2 capitum non amplius ad manum habeamus. Similiter etiam hymnus trium puerorum, et ea quae cap. 5, in hebraeis voluminibus non reperiuntur, censenda sunt olim in hebraeo vel chaldaico textu extitisse, sed iniuria temporum, aut casu, etc. in hebraeo vel chaldaico idiomate deperdita esse.

rum capitum, nimirum cap. 13 et 14 sermo sit, observandum, quod eam (sicut et ceteram versionem graecam huius libri) non habeamus a LXX interpretibus, sed a *Theodotione*, qui aliquot seculis post septuaginta senes vivebat.

Pro coronide huius praefationis observo, quod ecclesia in Martyrologio suo 21 iulii memoriam *Danielis* tanquam sancti celebret; quodque huic prophetae laurea martyrii tam parum deneganda sit, quam sociis eius *Ananiae*, *Azariae* et *Misaëli*: nam quam fortiter illi in fornacem babilonicam, tam generose *Daniel* ob eximiam pietatem et zelum honoris Dei, se mitti permisit in lacum leonum, etsi miraculo inde illaesus evaserit. Virginitatem autem illibatam ad mortem usque conservasse tam *Danielem*, quam dictos tres pueros, omnes patres consentiunt: et ea de causa hos ab igne babilonio, illum a dentibus leonum intactos mansisse, affirmat *Damascenus* (1).

114. QUÆRES I. Quomodo confutanda assertio PORPHYRII, SPINOZAE, aliorumque incredulorum contententium, prophetiam *Danielis* de quatuor Monarchiis sibi succedentibus (Dan. cap. 2) primum confictam esse tempore intermedio, quod ab *Antiocho* usque ad *Iesum Christum* effluxit? Antequam hanc incredulorum assertionem, nullo prorsus solido fundamento nixam, refutem, observo, quod modo dicta *Danielis* prophetia incredulis (2) nimis clara et dilucida visa sit, adeo quidem, ut post *Porphyrium* et *Spinozam*,

(1) L. 4 de fide, cap. 25.

(2) Opinion des anciens sur les Juifs, pag. 117. Esprit du judaïsme, p. 149. Examen des prophéties, pag. 149, 152.

(3) Examen important, c. 10, p. 54.

(4) *Ezech.* c. 28, v. 5.

(5) Comparetur *Esd.* c. 2, v. 5 cum Dan. c. 9, v. 4.

ut cl. *Bergier* testatur, asserere non dubitaverint, hanc prophetiam post res, quas praedicere videtur, iam gestas, et illis primum temporibus quae ab *Antiocho* usque ad *Iesum Christum* effluxere, confictam fuisse. Imo auctor *Examinis momentosi* (3) censet, tam librum *Danielis*, quam libros *Salomonis*, *Davidis*, aliosque Alexandriae compositos esse.

Verum R. et dico: Temeritas, qua recensiti increduli has suas suspiciones et vanissimas coniecturas effutiunt, plane demonstrat, eos in arte critica perparum profecisse. Nam I. Si liber *Danielis* primum post tempora *Antiochi* compositus fuisset, tunc, sicut aliae paraphrases iudaicae, ita pariter liber *Danielis* idiomate chaldaico exaratus esset; cum e contrario maximam partem hebraice scriptus sit. Tempore autem *Antiochi* et postea lingua hebraea non amplius erat lingua vulgaris iudaeorum, nec hebraice tunc amplius libros scribere sciebant, aut certe non solebant. II. De *Daniele* in vaticiniis *Ezechielis* qui post illum captivus Babylonem abductus est, sermo ingeritur, ac de eiusdem sapientia et scientia rerum secretarum mentio fit his verbis ad arrogantem regem Tyri per sarcasum directis: *Ecce sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum a te* (4). III. *Nehemias* quoque, qui diu ante tempora *Antiochi* extitit, ad Deum orationem fundit, quae ex libro *Danielis* (5) manifeste desumpta est. IV. *Iosephus* iud. (6) vaticinia Da-

(6) L. 10 Antiquit. iudaic. c. 12, ubi *Iosephus* ad huius capitis finem, postquam visionem *Daniel*. c. 8, v. 9, etc. de *Antiochi Epiphani*s potentia et impietate in iudaeos recensuit, subiungit haec verba: « Quae quidem calamitas genti nostrae sub *Antiocho Epiphane* accidit, ita ut futurum *Daniel* ante multos annos scripse-